

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Clarissimo uiro, D. Thome Matthie, consiliario inclyti principis electoris  
Marchionis, & amico suo ueteri & charissimo

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

bus uotis, uobis in auspicijs istius coniugij filie honestissime tue assistam: et Deum orem, ut illud largiatur reorū & uos faustum, felix, letum, fecundum & salutare. Addo etiam exiguum munusculū, quod filie sponse meo nomine & filie mee, cum pia satisfactione offeres: et me amplissimo Senatui quoque uestro excusabis, et gratias ages pro testificatione suae erga me benignitatis. Deus pater, et Dominus noster Iesus Christus, cum spiritu suo sancto adsit uobis, ac nobis omnibus. Date raptim idibus Maij. Cupio reuerenter saluari collegam tuum, do minum N. N. et consules utriusque oppidi.

Clarissimo uiro, D. Thomae Matthiae, consiliario inclyti Principis Electoris Marchionis, &c. amico suo ueteri & charissimo,

S. D. Existimo te sepe audiuisse me recitantē epistolā Nazanzeni, in qua se excusat, cur non accedat ad synodum: Quia, inquit, magis accendunt synodi dissidia, quam tollunt. Et ita sepe fit. Vnde miror, quare conuocaueritis dissidentes Stancarum & Musculum, tanquam ad certamen institutum. Multo utilius esset, diligenter lectis eorum scriptis, et re pie et grauius iudicata, mandari silentium de falsis opinionibus. Ego uerò non defugio congressum: sed hoc tempore senatus Augustanus nunc

cium

cium ad me misit, ac significant Carolum Imperatorem concessisse, ut ciuitas constituat Ecclesias ad normam Augustanae confessionis: sic nostram nominat. Petunt igitur idoneos doctores iudicari. Hac de re Lipsiæ me cum Sarcerio & alijs colloqui oportet. Quare oro ut Illustrissimus Princeps mihi ueniam det, nunc non accedenti. Miror Lipsici mercatus tempore nos uocari, quo aurigas etiam diffaculter inuenire possumus. Ac si controuersia est de propositione, An Christus sit mediator tantum secundum humanam naturam: iam dico meam sententiam plane, errorem esse, dicere Christum tantum secundum naturam humanam mediatorem esse.

Quia ad Mediatoris proprietatem pertinent, non tantum mors, sed ut sit æquiualens precium, & sit uictor mortis, item, ut sit sacerdos, ingrediens in sancta sanctorum: id est, in arcanum consiliū diuinitatis, item, ut sanctificet dato spiritu sancto. Hæc sunt proprietates diuinæ naturæ. Denique longa hac de re commemoratio institui potest. Nec recuso lectis utriusque scriptis, aut coram aut per literas meam sententiam confiteri. Alij etiam ante hoc tempus mecum de hac propositione locuti sunt, qui eruditè de proprietatibus Mediatoris disputabant. Sed hæc coram, uel in scriptis publicis copiosius. Bene uale, & me Illustrissimo Principi reuerenter commendato. Die 3 Octobris. 1552.

¶ s ¶ Vene-